



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Quæstio IV. An Sanctorum in cœlis beatitudo aqualis sit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

RI, Tom. 23 L. 94.) adeo detortas, & per ratioeina-
 tiones tam infirmas, ut inde solidi nihil concludi posset.
 Neque id laudi vertitur *Durando*, quod in eodem com-
 mendario de *S. Bernardo* ita scripserit: Notandum venit
 illum, etiamsi vir magni fervoris in sacris precibus & con-
 cionibus suis fuerit, non tamen gravis autoritatis fuisse in
 exponendis divinis Literis: quapropter eum hac in ma-
 teria sequi, aut relinquere licet.

QUAESTIO IV.

*Utrum Sanctorum in caelis beatitudo aequalis
 sit?*

187. *Joviniani* in Sec. IV. hic error fuit, quod dice-
 ret omnium hominum virtutes & vitia, bo-
 na & mala opera esse aequalia, ac proinde aequale
 in altera vita futurum esse & honorum praemium,
 & supplicium malorum. Errorem hunc duobus
 libris refutavit *S. Hieronymus*. Eundem resuscitavit
Lutherus, qui cum homines ex sola justitiae Christi
 imputatione justos esse diceret, quae omnibus per
 Fidem aequaliter applicetur; aequalem etiam visionem
 beatificam omnibus retribuendam esse contendebat.

188. *Sanctorum in caelis beatitudinem pro merito-
 rum diversitate inaequalem esse, dogma Catholi-
 cum est.* Praeterquam enim quod *Joviniani* error
 iam a *Siricio* Papa in Synodo *Romana* proscriptus
 fuerit; hanc veritatem definivit Synodus *Floren-
 tina* in Decreto unionis ita statuens: *Sanctorum
 animas in caelum mox recipi, & intueri clarè
 ipsum Deum trinum & unum, pro meritum di-
 versitate alium alio perfectius.* Quod etiam perti-
 net Canon 32. Sess. 6. *Trid.* *Siquis dixerit, ho-
 minis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut
 non*

non sint etiam ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, sunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit. Prob ex S. Scripturis. Christus Joann. 14. ait: *In Domo Patris mei mansiones multæ sunt.* In quæ verba S. GREGORIUS L. 4. Moral. c. 31. inquit: *Quia in hac vita est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum, ut, qui hîc alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat.* Clariora hanc in rem sunt verba Apostoli I. ad Cor. 15. v. 41. & 42. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum: Stella enim differt à Stella in claritate; sic & resurrectio mortuorum.* Loquitur hîc equidem Apostolus de inæquali gloria corporum: hæc tamen cum à gloria animæ dimanet, si illa inæqualis est, hanc quoque inæqualem esse sequitur. Ibidem c. 3. v. 8. ait: *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Unde 2 ad Cor. 9. *Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Fuit hæc constans Ss. PP. opinio. Omissis aliis: *Plus Deum diligam* (inquit S. IRENAEUS L. 4. c. 13.) *quanto autem plus Deum dilexerimus, hoc majorem ab eo gloriam accipiemus.* S. HIERONYMUS contra Jovinian. urgens illud Christi (Joann. 14.) *In domo Patris mei mansiones multæ sunt, inquit: Para-*

ta sunt in cælo plurimæ & diversæ mansiones plurimis diversisque virtutibus, quas non personæ accipiunt, sed opera. Nimirum visio Dei beatifica est merces & corona juxta illud 2. ad Tim. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex; & Jacob. I. Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Igitur propter operum bonorum merita datur; ideoque pro diversitate meritorum diversa erit beatitudo. Certè damnati inæqualiter puniuntur juxta demeritorum inæqualitatem; ergo etiam justis inæqualiter retribuitur pro inæqualitate meritorum. Accedit, quòd gratia sanctificans, quæ est semen luminis gloriæ, in hac vita non sit æqualis in omnibus justis; proinde nec lumen gloriæ erit in omnibus æquale; cum gratia sanctificans non minùs sit mensura, quàm semen luminis gloriæ.

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Matth. 20. Paterfam. singulis Operariis in vinea æqualem mercedem dedit, singulis nempe denarium, tametsi alii plus, alii minus laboris sustinuerint, cumque illi, qui pondus diei & æstum portaverant, v. 12. quererentur: Hi novissimi (qui sc. horâ undecimâ in vineam missi fuerant) unâ horâ fecerunt, & pares illos nobis fecisti; respondit paterfamilias: volo autem & huic novissimo dare, sicut & tibi: aut non licet mihi quod volo, facere? ergo. Resp. Tota hæc parabola à Christo proposita manifestè confirmat doctrinam catholicam, nam 1^o. initium parabolæ habet: Paterfam.

terfam. exiit primo mane conducere operarios: operarius autem est, qui propter mercedem, quam labore suo meretur, laborat; & conducere verbum justitiæ, h. e. meriti & mercedis est. Dein v. 21. *Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.* Igitur denarius justitiæ est, non gratiæ, quia ex conventionem est. 2^o. Christus itaque non volebat significare, gloriam æqualem omnibus dandam esse, sed potiùs inæqualem, quia non gratis, sed meritis datur; quod autem datur meritis, non æqualiter omnibus, sed aliis plus, aliis minus datur pro meritis. Id quod amplius colligitur ex propositione, ad quam probandam adsumpta est parabola: quæ propositio est ista: *Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi primi.* v. ult. c. 19. Ibi autem Christus agebat de meritis & præmiis, ut liquet ex v. 27. ubi Petrus dicebat Christo: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Jesus autem v. 28. dixit illis: *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Dein v. 30. mox subjunxit Christus: *Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi primi,* significans ideo multos primos novissimos esse futuros, quia, quamvis primi venissent ad vineam, minus tamen laborarunt, ideoque minorem mercedem meriti sunt. Quod confirmabat parabolâ v. 1. & seqq. c. 20. proposita. Ita MALDONATUS in h. l.

Inst. At omnibus idem denarius datus est. *Resp.* Quia Christus tantum volebat probare, plus aliquem

quem breviorē, quā alium longiorē tempore laborare: novissimi autem erant primi, quia etsi novissimē venissent, primi tamen mercedem acceperunt. Atque sic æquale opus æqualem mercedem, major diligentia & brevius tempus primum locum meruit. Respondent alii, eundem denarium esse figuram beatitudinis ratione objecti beatifici, quod idem est; vel durationis æternæ, non autem ratione intensiōnis aut perfectionis. *Denarius* (inquit S. AUGUSTINUS Serm. 59. de verbis Dom) *est vita æterna, & in vita æterna omnes æquales erunt: quamvis enim meritorum diversitate fulgebunt alius magis, alius minus; quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus: non enim alteri erit longius, alteri brevius, quod pariter sempiternum est.* S. AMBROSIIUS L. 7. in c. 15. Luc. ait: *Æqualem dignaris mercedem solvere, æqualem mercedem vitæ, non gloria.* Et S. HIERONYMUS L. 2. contra Jovin. *Unus denarius, inquit, non unum est præmium, sed una vita, & una de gehenna liberatio.*

Inst. 2. Paterfam. v. 14. dicebat: Volo autem & huic novissimo dare, sicut tibi: & v. 15. Aut non licet mihi quod volo facere? quibus verbis factis significabat, denarium non ex merito iustitiæ, sed ex solo beneplacito datum esse. Resp. Hoc responsum dedit Paterfamilias, ut personæ decorum servaret: ipsius autem personæ non conveniebat, ut vili operario veluti rationem redderet, cur tantum novissimis dedisset, quantum primis. Præterea, ut observat S. CHRYSOSTOMUS, noluit pudore suffundere operarium conquerentem, quod fecisset, si facti sui dedisset rationem, nam aliorum,

HOMIN. POST MORTEM. 605

rum, qui primi venerant, negligentiam obliquè subnotasset. Idem S. D. Hom. 65. in loc. cit. *Matth.* inquit: *Christus parabolam dixit: & in parabolis non oportet nimiâ in singulis verbis curâ perangi.*

Obj. II. Beati vident Deum, sicuti est: & hæc visio est summum bonum, reddens omnes perfectè beatos; igitur visio est æqualis. *Resp.* Vident Beati Deum, sicuti est, inquantum vident essentiam, attributa, & personalitates divinas, quin aut videant Deum eâ visione, qua Deus se ipsum videt, aut æquali omnes claritate. Cujusque tamen Beati visio est summum ejus bonum, quia totum illius desiderium omnino fatiat. Et eatenus Beatorum unus præ alio fruetur majore bono, quâ sc. clariorem habuerit visionem ob majus lumen gloriæ intellectui infusum; quamvis idem sit futurum objectum beatificum respectu omnium. Erunt omnes perfectè felices, tum quia Deo omnes fruuntur, tum quia singuli Deum videbunt juxta mensuram luminis gloriæ sibi juxta, inimo ultra merita sua concessum. Beati quoque plus Deum diligunt, quàm se ipsos, ideoque divinæ voluntati promptè perfecteque acquiescunt. *Id etiam beata illa civitas* (inquit S. Augustinus L. 22. de civ. c. 30.) *magnum in se bonum videbit, quòd nulli superiori ullus inferior invidebit, sicut nunc non invident Archangelis Angeli ceteri, tamque nollet esse unusquisque, quod non accepit . . . quàm nec in corpore vult oculus esse, qui digitus est. Sic itaque habebit donum alius alio minus, ut hoc quoque donum habeat, ne velit amplius.*

Inst.

Inst. Pœna damni æqualis est in damnatis; ergo etiam in Beatis æqualis est visio. *Resp.* Certè magis dolent de amissa visione damnati adulti, quàm infantes sine Baptismo decedentes: cur non inter adultos damnatos alius præ alio magis dolere possit de jactura æternæ beatitudinis? sed esto, sit pœna hæc æqualis, at in privatione visionis sita est, quæ privatio intensiorem non recipit. Intendi autem visio potest. Quod verò ait S. AUGUSTINUS, non pòsse quemquam rem unam magis altero intelligere, verum est, si intelligatur ab utroque id, quod videtur, non autem de modo intellectiōnis. *Et sicut* (inquit S. THOMAS in 4. dist. 49. q. 2. a. 4. ad 4.) *importat modum, qui est ex parte visi, non qui sit ex parte videntis. Quilibet enim videbit Deum esse eo modo, quo est; sed tamen modus videntis non est æqualis rei visæ, sed in infinitum distans; Et ita modus unius videntis potest esse minùs distans, quàm modus alterius.*

Obj. III. Dum Scriptura ait, viam æternam bonis operibus reddendam esse, de illis duntaxat loquitur tamquam de signis & fructibus Fidei, non tamquam de meritis. Unde etiam S. AUGUSTINUS in Ps. 70. *Conc. 2.* inquit: *Deus dona coronabit, non merita.* Et S. BERNARDUS *Serm. 15.* in Ps. *Qui habitas,* ait: *Totum hominis meritum spes est, Et miseratio Domini.* Ergo. *Resp.* Ad 1^{um}. Vita æterna expressè vocatur in S. Scripturis *merces, debitum, corona justitiæ:* & Christus *Matth. 25. v. 35. & 42.* eodem modo loquitur de retributione bonorum & malorum operum; sicut igitur opera mala verè & propriè merentur pœnam æternam, sic bona vitam sempiternam. Ad 2^{dum}.
Deus

Deus coronando merita per gratiam facta coronat & dona sua, non autem coronabit merita solius naturæ, quæ nulla sunt in ordine ad præmium supernaturale. Est itaque miseratio Domini totum hominis meritum, quia Deus ex misericordia homini largitur gratiam, ut mereri possit. Hinc TRIDENTINUM Sess. 6. c. 16. docet, *vitam æternam bene operantibus, & filiis Dei proponendam esse tamquam gratiam per Christum misericorditer promissam, & simul tamquam mercedem.*

a) Beatis quibusdam, veluti Martyribus, Virginibus, & Doctoribus, qui ad Justitiam erudiunt multos, conferretur *aureola* (quasi parva corona aurea) sive *laureola*, quæ est specialis quædam prærogativa, & gloria accidentali, in præmium specialis cujusdam cum Christo conformitatis, quam habuerunt in terris sive patiendo, sive custodiendo virginitatem, sive alios in justitiam erudiendo.

β) Utrum de Fide sit, Summum Pontificem errare non posse in Canonizatione Sanctorum; & an de fide sit canonizatum esse Sanctum? controvertitur inter TT Qui negant, ita ferè dicunt: Fides nititur divinis revelationibus: canonizati autem gloria neque in Scripturis, neque in Traditione continetur revelata; neque etiam revelata est alicujus hominis particularis Sanctitas. Hinc S. THOMAS *Quodlib. 9. q. 7. a. 16.* docet canonizationem esse quid medium inter res Fidei, & res particulares. Non tamen ideo cultus Canonizato impune negari potest, sicut nec hostiæ venerationi expositæ, licet de Fide non sit eam esse consecratam. Qui autem affirmant de Fide esse, dicunt Pontificem & Ecclesiam definire posse tamquam Fide tenendum, quod ex una præmissa de Fide, & altera moraliter evidenti infertur: de Fide autem esse, salvum fore, qui usque in finem in bono perseveraverit, & hanc perseverantiam de canonizando moraliter evidentem esse ex processibus, & præsertim ex miraculis, quæ sunt quædam divina testimonia sanctitatis & gloriæ, quæ in cælis fulget canonizandus; adeoque defini posse

posse tamquam de Fide, hunc esse sanctum. His utrinque positis addit Benedictus XIV. Cum definitiva sententia de his nondum prodierit, pluresque Doctores Catholici oppositum sentiant, fatentur non fore hæreticum formalem, qui diceret de Fide non esse, Papam in canonizatione non esse infallibilem, aut ab eo canonizatum non esse sanctum. Etsi autem talis non sit hæreticus, saltem gravi censura, gravissimisque pœnis obnoxius est, qui adserere audeat, Pontificem in aliqua canonizatione errasse, aut aliquem canonizatum non esse dulia colendum, quia definitiva canonizationis sententia etsi de Fide non sit, infallibilis tamen est, & universam spectat Ecclesiam.

2) Speciali nota dignum est, quod ait idem Pontifex in eadem quaestione, videlicet non omnia, quæ à Summo Pontifice, adflante Spiritu Sancto, declarata sunt in materia Fidei, ita esse Fidei articulos, ut, licet infallibilia sint, hæresim incurrat, qui eorum aliquid neget, uti constat de propositionibus damnatis: Hæreticus enim ille est, qui Fidem professus pertinacem habet errorem veritati certò Catholicæ oppositum. Hinc sicuti eadem propositio in materia dogmatis, aut morum à Pontifice definita non semper est de Fide, licet semper sit infallibilis; ita cum infallibilitate Pontificia componi potest sententia negans, hunc aut illum canonizatum esse revera sanctum. Ita ille.

CAPUT III.

De Purgatorio.

189. **D**amnatorum pœnas fore æternas, negabant olim in Sec. III. & IV. *Origenista*. Errorem hunc in Seculo superiore resuscitarunt non pauci ex Anglis Scriptores, veluti autor Libelli, cui titulus *Evangelii æterni*, qui prodit Londini anno 1697. Joannes Tillotsonus, Archi-Episcopus Cantuariensis, Thomas Burnetus, Henricus Dodwellus, Collingius, Tolandus, Tindalus, alii-
que